

IPCS.

1561

271a

oo

Constat 3. XI. in d. Stiftion,  
zu Jelgava gest. 31. a.O. 1700.

oo

o

T XVII, 284.

ORDO DO= <sup>7</sup>  
CTRINAE ET DISCIPLINAE IN  
PAEDAGOGIO MONASTERII ERFFVR-  
DENSIS AD S. AVGVSTINVM, AC  
COMMODATVS AD VERAM, PI-  
AM, VTILEM, ET SALVTA-  
REM INSTITUTIONEM  
IVVENTVTIS.

Recens à Professoribus scholæ  
conscriptus.

5.9

ERPHVRDIAE,  
EXCVDEBAT MARTINVS  
DE DOLGEN.

ANNO            M.     D.     LXVI.



AMPLISSIMO, PR VDENTISSI-  
moꝝ Senatui Reipub: Erfurdensis, suis  
dominis vera animi subiectione,  
reuerentia & obedientia  
colendis.



Agna est opinio in plerorum-  
ꝝ hominum animis scholas ni-  
hil aliud esse quam ignavi in-  
ertisꝝ ocij domicilia, & ideo  
tantum expetendam esse eru-  
ditionem, ut præ ceteris homi-  
nibus quietiore & ociosiorem  
vitam agere possimus. Multi etiam op-  
inantur scholas puerorum tantum esse ludum, in  
quo domi dum aliud per ætatis imbecillitatem  
agere non licet, detineantur & edacentur.  
Nonnulli verò consuetudine fieri existimant,  
ut pueri à teneris annis ad preceptores in scho-  
las deducantur, sed nō pauci, proh dolor, hodiè  
viuunt, qui prodesse aut nihil aut parum scho-  
las vitæ ciuili arbitrantur. Et hęc persuasio  
tanꝝ lues quedam hoc pr̄sertim seculo m̄tes  
hominum inuadit vt iudicent, nō referre, scho-  
las nē aliquas aut nullas habeamus, nihilominus  
posse fieri quod solet & debet. Hinc tantus

A ij est

est contemptus literarum, tanta neglectio  
scholarum, ut nemo ferè amplius reperiatur,  
qui aliquid opis ad artium & scholarum con-  
seruationem conferendum esse ducat. Nec iam  
honor tribuitur literatis, nec precio digni ha-  
bentur, qui literas docent, nullo denique subsidio  
aut adminiculo sublevantur pauperes scho-  
lastici. Qui paululum locupletiores sunt  
ceteris, suis diuitijs confidunt, & literas ad cō  
infra se ponunt, ut turpe sibi esse putent quicque  
in scholis discere. Qui aliquantulum modo  
potentiæ habent, cultum literarū se indignum  
iudicant, & ad pauperes reīciunt. Quis denique  
est hodiè vel opibus quantumuis exiguis, vel  
parentū qualicunque splēdore, aut alioqui parua  
aliqua fortuna ornatus, qui nō Scholas & pro-  
fessionē literarū floccipendat? Quām multos  
reperias qui ita sibi persuasum habent, se vel  
absque doctrina excellere, & officia in Repub:  
& priuata etiam vita recte administrare posse:  
doctisque insuper etiam in hoc genere preferri:  
Hinc male consuli Rebuspub: iudicant, si eru-  
ditis viris commitantur. Hęc perniciosissima  
opinio tantam cladem adfert bonis literis, vt  
ad paucissimos artium cultus & professio re-  
cidat. Sed quid fiet tandem, si ita Cyclopum  
& Scy-

& Scytharum more de literis Ecclesiæ & Re-  
rumpub: ornamentiſ & præſidijs ſummiſ, atq;  
adeò de theſauro mundi poſt verbum DEI  
preſtantissimo iudicare perrexerimus: Quid  
mali quæſo indè eueniet: Hoc animis attentis  
& ſollicitis vobis cōſiderandum eſt, Senatores  
prudentiſſimi, & in tempore occurrendū eſt,  
ne noſtro magno malo, quod DEVſ ſemper  
auertat, experiamur aliquando, contemptus  
literarum & Scholarum quid faciat. Non ſunt  
ocij & ignauiaſ domicilia Scholæ, non idem eſt  
ſiuie curentur ſiuie negligantur literæ, Non de-  
niq; potest Respub: benè & feliciter regi ſine  
eruditorum adminiculo. Quin hoc cogitandū  
potius eſt, Scholas eſſe neruos Reipub: & of-  
ficiam ſeu fontem auguſtum & perennem, ex  
quo pmanat per totam ciuitatem & regionem  
innumerabilis commodorum & utilitatum co-  
pia. Imò Scholæ ſunt vnicus theſaurus Rei-  
pub: ex quo depromitur, quicquid ad Ecclesiā  
& communes uſus ciuitatis neceſſarium eſt.  
Quid enim eſt ciuitas: quid Respub: ſine do-  
ctrinarum ſtudio: eſt corpus ſine anima. Nam  
anima ciuitatis eſt doctrina honesta de DEO,  
de Legibus, virtutibus, conſeruatione & reſti-  
tutione sanitatis & aliarū rerum in vita utiliū.

A iiij Sed

Sed vnde queso hec bona proficiscuntur? Ceterè non aliundè quam ex Schola. Quis igitur nō videt maximum thesaurum Reipub: esse Scholam? Quid profunt opes, quid est potentia omnis, absq; literis, nisi laterna cui deest lycanus? aut corpus cui deest spiritus? Nam absq; doctrinæ luce omnis vita ignobilis est, & morti non dissimilis. Quid porrò est priuata vita ciuis cuiusq; absq; Scholis? Quomodo curabit pater familiâs liberos suos, nisi ad scholas eos deducat, ubi in timore et correptione domini edacentur? Abhorrere nos oportet pectore et animo ab ea Repub: quæ Scholarū nullam curam habet. Quid enim differt talis ciuitas à Cyclopium consortio et Turcica barbarie? Contra quantum bonum est ciuium habere in Repub: benè cōstitutas scholas, ad quas tanq; ad communem matrem liberos suos mittant, ubi piè et melius quād domi ab ipsis parentibus edacentur? An nō videtur hic augustus et sacer esse fons ciuitatis, cuius riuuli totam irrigant ciuitatem? An non est thesaurus ciuitatis communis et maximus habere suorum liberorum alterum parentem scholam, à qua educationis liberorum suorum partem præcipuam quasi iure suo ciues exigat? Hinc

Hinc sanè perspicuum est priuatorum etiam ciuium thesaurum esse Scholam, sed leuiora sunt quæ hactenus dicta sunt, & ad huius vitæ usum & necessitatem tantum spectant.

Quid DEO & posteris nostris respondemus: si Scholas & literarum cultum neglexerimus: Vnde animæ salutem & medicinam petemus nisi Scholæ foueantur, ut docti viri inde pdeant, qui verbum salutis nobis tradat: Vnde in iudicandis causis & dirimendis controuersiis lucem expectabimus, nisi in Scholis aliqui sint, qui literas & iura discant: Vbi liberi nostri educabuntur, nisi Preceptores alantur in Scholis qui Pedagogiam sustineant: Vnde corporis & sanitatis consilia nobis suppetent, nisi sint, qui in Scholis Physicen & medendi artem cognoscant: At, dicat aliquis, sunt scholæ, sunt docti viri, quorum opera uti Respub: & Ecclesia potest. Absurdū est fructu vnius anni contentū esse, nec cogitare de semine seu propagatione ad annos sequentes. Quod ergo nunc Deus dederit, qui præesse Ecclesiasticis & Politicis muneribus possunt, est quod gratias ei agamus. Interim oportet nihilominus etiam sollicitos nos esse de posteritate, dareq; operā, ut non tam nobis, quam posteris nostris consuluisse videamur.

Hanc

Hanc sanè ob causam fouendæ sunt Scholæ, & multi ad discendum inuitandi, vt seminarium Ecclesiæ & Rerum publ: perpetuum extet. Ideò autem multos oportet esse scholaisticos non paucos, quia ingeniorum & donorum magna est dissimilitudo, & inter centum vix unus inuenitur, qui tantum proficit, vt vel idoneus Professor in Schola, vel Concionator utilis in Ecclesia, vel Syndicus bonus aut Senator in Republ: esse possit. Oportet ergo esse cætus scholaisticos in ciuitatibus ex pauperib: & diuinitibus collectos. Et etiamsi oneri esse ciuitati videri possit multos alere scholaisticos inopes, tamen reuera summum est lucrum & cōmune Reipubl: bonum. Quoties enim videmus cœtum scholaisticum, toties gratias agere DEO debemus, quod seminariū Ecclesiæ & Reipubl: nobis reliquit. Et qui scholaisticum pauperem pium & studiosum iuuat & pascit, is sciat atq; adeò omnino sibi persuasum habeat, se alere Reipubl: plantam omnium preciosissimam opibus & omnibus alijs rebus anteferendam.

Sic ergo statuatis prudentissimi Senatores, thesaurum maximum vos alere, cum Scholas fouetis, & DEO cultum prestatre gratissimum, fidocatos viros iudetis. Nec posse vos negligere

gere Scholam vestram sine summa impietate  
aduersus DEV<sup>M</sup> & posteros omnes. Impel-  
limini enim ad id seuerissimo mandato regis  
cœli & terræ, cui multò maior obedientia quā  
toti mundo debetur. Inuitamini nunc opta-  
tissima occasione, quia emergit nunc & illu-  
cescit iterū bona spes reparationis studiorum  
in Schola hac, & præbet DEV<sup>S</sup> se adeò erga  
nos benignum & facilem, vt nisi beneficentia  
eius gratis pectoribus amplectamur, gratiam  
diuinam & benevolentiam omnem amissuri  
esse videamur.

Indigit Repub: vestra  
doctis viris, nec potestis Scholis carere. Susci-  
pite igitur curam earum, & vestro beneficio &  
liberalitate, opera & vigilantia tuemini &  
conseruate illas. Videbitis certissimè non  
deteriorem indè Repub: vestram esse futu-  
ram, sed indies melius esse habituram. Non  
enim deesse potest fisco ciuitatis pecunia, nec  
opes ciuium diminuuntur, quāmdiu pauperes  
& Scholæ Eleemosynas accipiunt. Et pfecto  
quicquid pecuniæ in Scholarum usum confer-  
tur non perit, sed in publicum & fidelissimum  
fiscum ciuitatis reponitur. Meministis, quid  
olim de Erfurdensi Repub: prædixerit Marti-  
nus Sangerhausen, Reditus quidem & alia

A v non

non defutura esse Erfordiæ, sed viros. Huius  
vaticinij memores educari curate in Scholis  
vestris adolescentes & iuuenes, quorum eru-  
ditione, consilio & industria olim in Repub:  
vestra & Ecclesia uti possitis. Quod vt seriò  
& diligenter faciatis, DEVM toto pectore  
rogamus. Et vobis leges scholaisticæ discipli-  
næ atq; adeò rationem totius ordinis, quem  
in erudienda iuuentute nobis com-  
missa seruamus, vera animi sub-  
iectione, reuerentia &  
pietate offerimus &  
dedicamus.

Valete.

Professores Scholæ in  
Monasterio ad S.  
Augustinum,



Niuersa puerorum institutio in duas partes commodissime distribuitur, in doctrinam videlicet, & disciplinam. Hæc enim duo totam ingenij per artes honestas culturam, & morum, virtutæcē conformatiōnem, & decus complectuntur. Quare nos etiam ad hunc modum scholasticos nostros labores referemus, vt & doctrina utili, & salutari instruantur commissi nobis discipuli, & moribus etiam honestis & bonis ornentur.

## DE PRIORI PARTE, QVAE est doctrina, seu studiorum institutio.

Omnis doctrina, quæ in scholis traditur, est partim rerum cognitio, partim dicendi, scribendiq; facultas. Quicquid enim discimus, spectat partim eò, vt res scitu dignas & necessarias cognoscamus, partim, vt dicendo, scribendoq; explicare animi nostri sensa possimus. Ad has igitur doctrinæ partes bmnis studiorū institutio referenda est, dandaq; opera, vt eæ artes & Autores iuuentuti proponantur, quæ partim sermonis facultatem præbeant & augent, partim animum erudiant, & expleant utilium

utilium rerum scientia. Seruamus ergo in ludo nostro hunc ordinem, ut nō solum artes illas primas, ex quibus sermonis structura & artificium peti potest, prælegamus, sed authorum etiam eorum interpretationem adiungimus, qui vna cum verborum copia rerū etiam cognitionem suppeditant, cuiusmodi sunt Virgilius, Ouidius, Terentius, Epistolæ Ciceronianæ, Theognis, Item Euangeliorum & Epistolarum Dominicalium explicatio. Ex his enim nō solum linguæ latinæ & græcæ cognitione hauritur, sed eruditur simul animus scientia rerum. Ac quia ordo in docendo maximè necessarius est, Lectiones ita distribuimus, ut & tempori & captui discipulorum inseruant.

## ORDO LECTIÖNVM, in fine Libelli adnotatus est.

Ex hac proposita tabella Lectionum perspicuum est, & qualem doctrinam in nostra schola tradamus, & quales discipulos in eam recipiamus.

Initia certè artium dicendi vnâ cum Arithmeticæ Elementis sedulò & fideliter explicamus, & inculcamus iuuentuti.

Deinde eos authores prælegimus, qui ad paran-

parandam & alendam eruditionem in primis  
conducunt.

Tertiò addimus etiam Elementa doctrinæ  
Christianæ in quorundam selectorum Psalmo-  
rum & Euangeliorum, Epistolarumq; Domi-  
nicalium explicatione, quatenus eam discipu-  
lorum nostrorum captus admittit, & adsequi  
potest.

Quartò accedit exercitium styli, proponi-  
mus enim singulis hebdomadibus geminum  
scriptum, in quo vertendo discipuli nostri in-  
genij sui neruos intendant & experiantur.  
Addimus etiam orationis ligatæ seu scribendi  
Carminis exempla & materias, vt in vtraq;   
orationis facultate discentes exerceantur.

Quia vero plurimum refert, quo pacto  
præcepta artium & authores tradantur, adhi-  
bemus in tradendis artiū Elementis simplicem  
& perspicuam præceptorum explicationem, &  
exempla addimus, quæ puerili captui sunt ido-  
nea. Adsuefacimus etiam discipulos, vt præ-  
cepta ediscant, & exemplis ea declarare nobis  
exigentibus possint.

Deniq; crebras etiam repetitiones adiun-  
gimus, partim inter docendum, partim peculi-  
aribus horis ad id destinatis. Nam die Mercurij  
hora

hora sexta requiri mus memorialem recitatio-  
nem audite partis per biduum superius cum in  
Grammatica, tum in Dialectica, similiter etiam  
die Sabbati per alterum biduum audite Gram-  
maticæ pars à pueris repetitur.

In autoribus vero explicandis adhibemus  
eam rationem & dexteritatem, quam discipu-  
lorum scholæ nostræ captui utilissimam esse  
iudicamus.

Prima enim horæ parte repetuntur quæ  
antecedenti lectione explicata sunt, & exami-  
nantur ordine discipuli, ut quid ex ea profece-  
rint, rationem reddant.

Secundò plura enarrantur & ita, ut primū  
textum ad verbū interpretetur, deinde sum-  
mam breuibus cōprehensam verbis dictamus.

Tertiò sententias γνώμας, si quæ insunt,  
aut historias aut fabulas explicamus.

Quartò ad Grāmaticæ precepta singula, vel  
certè præcipua exigimus, & exutimus, mon-  
strates quid simpliciter, quid figuratè dictū sit.

Quintò phrases indicamus, monstrantes  
simul quid in prosa, quid in ligata oratione  
receptum sit, & quid imitari, aut non imitari  
discentes debeant.

Cum autem hęc nostra Schola debeat esse  
media

media inter particulares adiunctas singulis Parochijs, & Academiā, nō alios discipulos in eam recipimus, nisi qui ad audiendū lectiones supra scriptas idonei sunt, videlicet qui Grammaticē tolerabiliter scribere & loqui sciunt.

Cumq̄ in particularibus scholis pueri satis diligenter instituantur, nullum discipulum ex nostratisbus scholis ad nostrum admittemus lundum, nisi adferat testimonij a preceptore suo seu pastore eius scholæ, cuius alumnus ante fuit.

Ita enim fiet, ut & Scholæ parochiales serventur, & cogantur pueri in scholis illis militare tam diu, donec Preceptorum iudicio ad nos cominodè transmittantur.

Deinde cum Schola nostra in Monasterio Augustiniano debeat esse officina, in qua parentur iuniores in descendis primis artibus & cognoscendis linguarum Elementis ad Academiam seu Collegium Magnum, ubi vberiorēm Artium & linguarū scientiam percipient, instituimus quolibet semestri circa æquinoctij tempus examen discipulorum nostrorum, ut exploremus pfectum eorū, & pmouere quemlibet pro suo captu & pfectu possimus, vel ad superiores lectiones in nostra schola audiendas, vel ad publicas prelectiones in Collegio frequentandas.

DE

DE ALTERA PARTE  
institutionis scholasticæ, quæ disciplinæ  
leges continet.

Parum prodesse doctrinam plerique existimant, nisi morum etiam adsit conuenientia & conformitas, Et recte quidem. Tantum enim quisque ingenio valere, & in discendo profecisse iudicatur, quantum mores externi in conuersatione hominum declarant. Sunt igitur diligenter & fideliter erudiendi pueri non artium tantum doctrina, sed regendi etiam sunt disciplina, ut moribus & vita tales euadant, quales sanctissima nostra professio scholastica requirit.

Sunt autem duæ partes disciplinæ, hoc est, honestæ & piæ conformatio[n]is morum, prior est vera erga Deum pietas, altera modestia erga homines, ceteraque virtutes in conuersatione ciuili necessariæ. Vtramque partem legibus propositis serio à discipulis nostris requiri mus.

LEGES DISCIPLINAE  
scholasticæ.

I.

Manè surgant tempestiuè, & precibus prijs sese & studia sua, parentes, preceptores, ecclesiā, scholam, & magistratum Deo commendent,

dent, petantq; diuinistus suos conatus regi &  
fortunari, vt in diuini nominis gloriam & Ec-  
clesiam, Reiç publicæ Christianæ salutem ce-  
dant.

FORMA PRECATIONIS,  
quæ vſitatis precibus, orationi  
Dominicæ, & recitatio-  
ni symboli addi debet.

Omnipotens æterne & viue Deus, æterne  
pater domini nostri Iesu Christi, gratias ago  
tibi, quod te patefecisti nobis immensa bonita-  
te, & misisti filium tuum, dominum nostrum  
IESVM Christum, vt nos à morte & æterna  
damnatione liberaret, veręq; salutis & vitæ  
æternæ participes ficeret, & nunc in hac  
postrema mundi senecta verbi tui, artium &  
linguarum vtilium lucem iterum accendisti.  
Te inuoco & oro, vt hęc ingentia tua dona  
diutius inter nos conserues, regasq; & defen-  
das Ecclesiam tuam, Scholas, & Politias, quæ  
hospitium nobis prębent. Guberna etiam &  
puehe conatus nostros, vt cœlestis tui spiritus  
instinctu officium nostrum sedulò & fideliter  
efficiamus. Rege clementer Preceptores,  
quos dedisti nobis, vt vtilia nobis tradant, &

B nos

nos eorū doctrinas audīe & seriō arripiamus,  
& in vera pietate tibi & proximo inseruiamus.  
Cumq̄ iam Diabolus rabiosissimē grassetur, &  
Ecclesiam pariter, Scholas & Politias honestas  
extinctas velit, maiorem in modum oro, vt  
clementer noticiam verbi tui, artium, lingua-  
rum, & legum, quibus Politiæ Christianæ con-  
tinentur, inter nos custodias, & tueraris, vt nō  
solum nos, sed etiam posteri nostri te verè  
agnoscant & celebrent, cum in hac, tum verò  
in vita æterna plenissimē, Amen.

Legant etiam, nisi ediscendæ lectionis  
precedentis necessitas impedit, aliquod cap-  
put in Biblijs, præsertim in nouo Testamento.

II.

Precatione finita ediscant præcedentem  
lectionem, vel Grammaticæ, vel Dialecticæ,  
aut Rheticæ, vt memoriter eam reddere in  
Schola possint.

III.

A Estiuo semestri manē hora sexta tem-  
pestiuè in Schola adsint, hyemali semestri hora  
septima, instructi scholasticis armis, præcipue  
libris, qui præleguntur.

III.

Ingressi

Ingressi Iudum voce vnanimi concinuant:  
Veni sancte spiritus &c. Et unus è cœtu euocatus surgat, & clara voce recitet Psalmum ex his, qui diebus Sabbati preleguntur.

V.

Iussi recitare aut repetere, precedentem lectionem alacri animo, & voce clara loquuntur.

VI.

Inter auscultandum seu audiendum lectiones sedeant quieti, modesti, & sint intenti in ea, quæ à Preceptore traduntur. Dictata & alia notatu digna audie excipiant, & ab omnium murmure, & confabulationibus prorsus abstineant.

VII.

Singulis diebus is qui in quolibet scamno upremum locum tenet, fideliter notet absentes in suo scamno, & exigenti Preceptoris notatos indicet, aut poenas negligentiae suæ luat. Hic si quando ipse, per negotia impeditus abuerit, alteri suum officium interim cōmittat.

VIII.

E ludo dimissi ordine, ut quisq; locatus sit, exeant, neq; alter alterum precurrat.

B ij In

I X.

In incessu per plateas sint modesti, non  
circumferant oculos in omnes angulos, neq;  
circuitus quærant, sed recta domum eant.

X.

Debitam etiam reuerentiam in plateis ex-  
hibeant superioribus omnibus quos pretere-  
unt, vt liquidò appareat, eos ex Schola, hoc est  
ex officina doctrinarum & morum, non ex  
caula prodire.

XI.

Domi officiosos se erga parentes, aut do-  
minos dominasue prætent, & iussis eorum  
sine contumacia & rebellione obsequantur.

XII.

Repetant auditæ in Schola lectiones, eo  
ordine, quo à Præceptore prepositæ sunt, vt  
primum interpretationem reiterent, deinde  
summam lectionis animo comprehendant,  
Tertiò sententias aut fabulas, aut alias doctri-  
nas excerptant. Quartò Grammaticen inuesti-  
gent, & tandem præcipuorum vocabulorum  
significationes, & loquendi formulas animo  
infigant.

XIII.

Hora

Hora prima in Iudum tempestiuè redeant,  
& officium impigrè faciant.

XIII.

Die Mercurij versa & purè descripta ar-  
gumenta præceptoribus ordine offerant, vide-  
antq; vt rationem suæ versionis, & constru-  
ctionis ex Grammatica, & autoribus auditis  
reddere possint.

XV.

A meridie diei Mercurij, cum vacatio à  
ludo literario conceditur, partim repetant  
præcedētum dieram auditas lectiones, partim  
dictatum argumentum in latinum sermonem  
conuertant.

XVI.

In conuersione propositi scripti siue argu-  
nenti, hanc curam adhibeant, vt formulas, ex  
auditis authorum prælectionibus requirant, &  
ptè inserere & usurpare discant, nec pigeat  
os sepius retexere & corrigere quæ compo-  
uerunt, diligenterq; ea ad Grammaticæ regu-  
las examinare.

XVII.

Eandem operam nauent etiam horis po-  
meridianis in die Sabbati, dum lectiones in  
schola non audiunt.

B ij Gra

Horæ



XVIII.

Gratitudinem erga Preceptores, Parentes, & omnes bene meritos ex æquo omnes prestant.

XIX.

Obedientiam adeò sibi necessariam esse existiment, ut sine ea nihil proficere in discendo quicqz possint.

XX.

Modestiam, & probitatem ubiqz & erga omnes præ se ferant, & fugiant omnes immoderatos gestus, sermones, ludos, & gressus.

XXI.

Veritatem vnicè amandam & dicendam sibi esse sciant, vitentqz omnes insidiosas occultationes & mendacia.

XXII.

Ad cibum sumendum accessuri, vel ea sumpta discessuri prius compositis manibus, & incenso pectore recitent preces benedictionis vel gratiarum actionis.

XXIII.

Vesperi cubitum ituri DEO gratias pro benigna transacti diei fruitione agant, & iterū pījs ad Deum conceptis precibus se, sua studia,

Paren-

Parentes, Preceptores, Cognatos, Ecclesiam,  
& Magistratum DEO commendent.

XXIII.

Obseruent quoque preceptum & morem Pythagoricæ scholæ, vt non prius somnum capessant, quām precipua doctrinæ interdiū auditæ, & perceptæ capita repetiuerint, animo infixerint, & velut in memoriæ thesaurum reposuerint.

XXV.

Vtantur discipuli nostri omnes inter se Latino sermone, Qui in hoc peccauerit, pœnas pro numero notarum luat.

XXVI.

Caveant accurate, ne velleuitate iurandi, vel alijs contumeliosis verbis aut vocibus Deum aut quenque hominem leadant.

XXVII.

Ebrietatem & luxum tanque pestem ingeniiorum, & pietatis hostem nocentissimum prorsus fugiant & abominentur.

XXVIII.

Caveant attente, ne quid in Monasterij ædificio fenestris aut alijs frangant.

B iiij In

**XXIX.**

In frequentando Iudo literario eam assiduitatem adhibeant, ut nullam lectionem negligant, sed semper adsint, nisi graue aliquod impedimentum obstet, aut veniam prius petierint & impetrarint.

**XXX.**

E Iudo nostro discessurus propter necessarias causas, prius Praeceptoribus gratias agat pro fidelis institutionis laboribus, & gratitudinem honesto, pio & probo discipulo dignam declaret. Neque priuato arbitrio vel ausu quisque Scholam nostram deserat, & ad alios Praeceptores in hac vrbe, vel ad publicas lectiones in Collegio transeat, sed expectet tantisper, donec Praeceptorum suorum iudicio dimittatur, alioqui, neque publicas, neque priuatas lectiones audiendi ius in Academia habiturus est.

**XXXI.**

Prohibemus etiam, ne discipuli nostri alibi lectiones priuatas audiant, cum nostræ omnibus, & singulis sufficient. Repetitiones tamen auditarum lectionum necessarias libenter non solum

solum concedimus, sed ad eas discipulos nos  
stros etiam hortamur. Eatenuis igitur priuatos  
etiam Præceptores habere discipulis nostris  
licet quatenus apud eos lectiones in Monasterio  
auditas fideliter repeatant.

## DE DIEBVS SACRIS seu Dominicis.

xxxii.

Diebus festis in publicis templis sacras  
conclaves frequenter audiant, & preces suas  
cum Ecclesia seriò coniungant, dentq; operā,  
ut ex qualibet concione selectas aliquas scri-  
pturæ sacræ sententias ediscant.

xxxiii.

Quod reliquum est temporis in diebus  
festis non inerti otio consumant, sed vel re-  
petitioni lectionis Euangeliū seu Epistolæ Do-  
minicalis tribuant, vel Psalmum die Sabbati  
prælectum ediscant.

B v DE

**DE HIS, QVI FIGVRALI**

Musica per plateas canendo  
victum queritant.

**XXXIII.**

**Qui canendo figurali Musica per ciuitatem  
victum queritant, ordine primum & moribus  
compositis per plateas incedant, rixas fugiant,  
& attentè caueant, ne bonas cantilenas cōfun-  
dant, itaq; se omnino gerant, vt in moribus  
gratitudo vera erga ciues appareat.**

**XXXV.**

**Qui ex Scholis Parochialibus canentium  
cœtui sese adiungere volunt, non priùs admit-  
tantur, nisi adferant testimonium à suis Præ-  
ceptoribus.**

**XXXVI.**

**In hoc canentium cœtu nullus sit, nisi vel  
in nostra, vel alia certa Schola sub certo Præ-  
ceptore discat, & spem aliquam profectus seu  
parandæ eruditionis de se polliceatur.**

**XXXVII.**

**Quolibet semestri examini nostro sese  
subjiciant, vt exploretur eorum profectus, &  
cognoscatur, vtrum digni sint hoc beneficio,  
quod**

quod à ciuibus quotidiè ostiatim accipiunt, nec  
ne.

xxxviii.

Ac vt gratitudinem etiam aliquid præstent  
volumus, eos diligenter adiuuare, & auger-  
cantiones figurales passim in templis vrbi  
quoties à Ludimoderatoribus eo nomine cor-  
pellamur.

xxxix.

Ne qua inæqualitas in distribuenda pecu-  
nia canendo collecta se. uetur, Professores ip-  
distribuendi officium sustinebunt.

DE HIS QVI IN MO-  
nasterio habitant.

xl.

Qui in Monasterij conclauibus habita-  
volunt, tranquilli sint, & grates hospites  
præbeant, ne iure ejici iterum possint, &  
omnes in nostra Schola lecti-  
ones audiant.

CRD

## ORDO LECTIONVM.

Feria II. & III. horis antemeridiana-  
nis preleguntur.

- VII. Dialectica Lossij primanis.  
Grammatica Philippi secundanis.  
VIII. Epistolæ familiares Ciceronis omnib:  
IX. Terentij Comœdiæ omnibus.

Horis pomeridianis.

Musica Nicolai Listenij omnibus.

Aeneis Virgiliana primanis.

Elementale Græcum secundanis.

- X. Græca Grammatica primanis.  
Syntaxis latina secundanis.

Feria IIII. horis antemeridianis.

- I. Recitatur Dialectica à primanis.  
Grammatica à secundanis.

II. & VII. emendantur scripta, soluta, &  
metrica.

Nouaq; scribendi materia dictatur.

Feria V. & VI. horis antemeridia-  
nis traduntur.

Rheo

**VI.** Rhetorica Sacerij primanis, & posse  
eam libellus Erasmi de copia verborum  
& rerum.

Grammatica Philippi secundanis.

**VII.** Ouidiani libri tristium omnibus.

**VIII.** Terentianæ Comœdiæ omnibus.

Horis pomeridianis.

**I.** Arithmeticæ Loniceri omnibus.

**II.** Bucolica Virgilij omnibus, & Prosa  
(dia)

**III.** Theognis primanis.

Græcæ AEsopi fabulæ secundanis.

Feria VII. horis antemeridianis explicantur.

**VI.** Dominicales Epistolæ Græcè prima  
(ni)

Euangelia Græcè secundanis.

**VII.** Selecti aliquot Psalmi omnibus.

**VIII.** Recitatur Grammatica à secundani  
Primani vero dimittuntur ad disputationem Philosophicam in Collegio  
Magno.











P  
Pg 344 9a



f

56.

hC



# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Yellow

Green


Cyan

Red

Magenta

White

Black



ORDO DO=7  
CTRINAE ET DISCIPLINAE IN  
PAEDAGOGIO MONASTERII ERFFVR-  
DENSIS AD S. AVGVSTINVM, AC  
COMMODATVS AD VERAM, PI-  
AM, VTILEM, ET SALVTA-  
REM INSTITUTIONEM  
IVVENTVTIS.

Recens à Professoribus scholæ  
conscriptus.

ERPHVRDIAE,  
EXCVDEBAT MARTINVS  
DE DOLGEN.

ANNO M. D. LXVI.

